Gilewski Martini: Quaestio de redemptionis humanae dispensatione salutifera.

C
D

Pro

in

An

D. O. M. A.

QVÆSTIO
DE REDEMPTIONIS
HVMANÆ DISPENSATIONE
SALVTIFERA,

Pro loco inter Doctores S. Th. in Celebri Academia Cracouiensi obtinendo.

A

M. MARTINO GILEWSKI
in Alma Vrbe S. Th. D. Protonotario Sanctæ Sedis Apostolicæ, Decano Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani, &c. &c.

Ad disputandum publicè
proposita.

Anno Domini M. DC.XXVIII. Mensis Iulij, Die 10
Horis antemeridianis & pomeridianis.

CRACOVIÆ,
Jn Officina Francisci Cæsarij. Anno Dni. 1628.

Ad Insignia Almæ Academiæ Cracouiensis.



SCeptra Iagello scholis dat queis Academia claret,
Sarmatici fulgens luxq́; decusq́; soli.
Sceptra Deus Regi, tibi Rex, Academia donat.
Quid mirum? cerebro est orta Minerua Iouis.
Sceptra per hæc artes, pietatis & aurea secla
Adsunt: ingrata haud sit modo posteritas!

QVÆSTIO.

VTrum Christus Dominus vtraq; sua natura Redemptor noster, Incarnatione illa ineffabili, qua temporis plenitudine aduenιente, carnem humanam passibilem, pro nobisq́; passam, mediante anima rationali, ad Hypostasim suam Diuinã assumpsit: Redemptionis humanæ dispensationem salutiferam, secundûm omnem modum causandi perfectissimum, & conuenientissimum non solum absolutè merendo, & pro nobis satisfaciendo, sed etiã Redimendis applicando vndiquaq́; peregerit necne?

 CON-

CONCLVSIO I.

Incarnatio Christi, est Redemptionis humanæ medium atq; remediũ nostræ saluti potentissimè sapientissimè ac beneficentissimè Diuinitus destinatum.

COROLLARIA.

1. *Ideoq́; non solùm de possibili, sed etiam de facto cognoscibile est: ab intellectu creato supernaturaliter illustrato illius Mysterium.*

2. *Ac omninò per se in suisq́; circumstantiis conueniens & ex suppositione finis necessarium erat Deum hominem fieri propter hominem.*

3. *Vnde & natura humana magis fuit assumptibilis à Deo, quam Angelica, vel quæcunq́; alia.*

4. *Atq; ad reparationem generis humani magis congruebat Filium Dei, quàm aliam personam Diuinam incarnari.*

5. *Cuius Incarnatio ita ad peccatum tollendum, & principaliter quidem Originale; ordinabatur: vt si Adam non peccasset Christus in carne non venisset.*

CON-

CONCLVSIO II.

Incarnatio est Actio qua Filius Dei naturam humanam assumpsit ad suam Hyppostasim, seu subsistentiam Diuinam.

COROLLARIA.

1. *Hæc porrò Actio, non tantùm est vnitiua, sed etiam productiua respectu humanitatis assumptæ à Verbo,*
2. *Terminusq́ illius Actionis est Substantialis coniunctio, qua humanitas Christi formaliter & actualiter manet vnita cum Persona Verbi.*
3. *Ita tamen vt ratio illius Vnionis sit in sola humanitate, neq́ includat aliquid increatum in Persona Verbi, quod habeat rationem Actualis vnionis.*
4. *Et quia vnio Verbi facta est in Persona non in Natura, ideò in Christo quamuis duæ sint Naturæ, vna tamen & indiuisa est Persona Verbi Diuini.*
5. *Hinc Christus vti Deus verus & naturalis Dei*

Filius, consubstantialis est Patri & Spiritui S. ob eandem numero indiuisam in tribus Personis Deitatem: quatenus homo consubstantialis & nobis, ob eandem specie nobiscum, ex nobis pro nobis assumptam humanitatem.

CONCLVSIO III.

Filius Dei virtute Diuinâ totius Trinitatis, veram carnem humanam totius labis expertem ex purissimis sanguinibus Maternis ijsdemq; Virgineis mediante Anima rationali Diuinitus creata in Athomo simul & semel assumpsit.

COROLLARIA.

1. *Ac proinde vbi primum Verbum Caro factum est, vno indiuisibiliq́ momento constitit humana caro, & simul animata caro, eademq́ Verbi Dei, Hominisq́ caro.*
2. *Cuius defectus humanos (peccato & ignorantia omninò exclusis) non aliqua necessitate, sed beneficentissima voluntate: Dei Filius ad nostræ redemptionis Mysterium & ministerium conuenienter assumpsit.*

3. Vnde

3. *Unde & secundùm, Animam & secundùm Corpus veros dolores ac passionum ærumnas sibi ex parte non indecoras, nobis simpliciter proficuas ad redemptionem nostri copiosam sponte sustinuit.*

4. *Ac ideò ex vi Redemptionis Uniuersalis uniuersos in genere dolores ærumnas, atq; passiones illum pro nobis sustinere Iustitiæ ac Sapientiæ, nec non & misericordiæ Diuinæ consentaneum fuit.*

5. *Anima nihilominus Redemptoris nostri semper Beata, quæ ex læsione sui corporis tota patiebatur secundùm essentiam: superiore illa sui portione non impediebatur quidquam in Actibus beatificis.*

CONCLUSIO IV.

Christus Dominus vti Redemptor hominum Vniuersalis, secundùm omnem modum causandi perfectissimum, & conuenientissimum, Redemptionis humanæ dispensationem, absolutè merendo & pro nobis satisfaciendo peregit.

Corollaria

COROLLARIA.

1. Meritum Christi quantũ in se infiniti valoris est, omnesq́ illius actiones meritoriæ infiniti meriti iure censentur: ac etiam præciso actu Pietatis, Religionis, Charitatis, & Obedientiæ, Satisfactionis rationem habent.

2. Vnde & Satisfactio Christi pro nobis non solùm erat sufficiens, sed etiã superabundans includens rationẽ meriti & satisfactionis ex rigore Iustitiæ latius sumptæ citra obligationẽ Dei absolutam, non tamẽ conditionatã ex pacto oneroso natam.

3. Tota insuper Vita illius Sanctissima, Passio pretiosissima, & Mors viuifica verè propitiatorium fuit Sacrificium pro peccatis nostris Deo infinitè acceptum.

4. Simulq́ redimendi hominis pretium illud immensum ac inæstimabile, sic præferebat, vt opus Redemptionis immediatè solius sit Christi Domini quatenus hominis.

5. Ipsaq́ etiã efficientia nostræ Salutis Humanitati Christi quatenus vnita Verbo verè attribuitur vt instrumento Physice non tantum Moraliter agenti.

CON-

Conclvsio V.

Chriſtus Dominus, Redemptionis ſuæ vim & efficaciam, omnibus hominibus; licet inæqualiter, tamen conuenienter applicat: non ſola promulgatione legis, at etiam influxu Gratiarum, ſiue in Sacramento, ſiue extra Sacramentum.

COROLLARIA.

1. *Meritum & ſatisfactio Chriſti tunc nobis applicatur, quando aliquod Gratiæ Donum ex illius meritis quocunq́ modo nobis confertur: nulla tamen Lege à Deo ſtatuta, dandi auxilia præuenientis Gratiæ, facientibus totum quod in ſe eſt ex ſola facultate naturæ.*
2. *Applicationis huius non ſoli Prædeſtinati, ſed etiam Reprobi capaces ſunt quoad dona Gratiæ in hac vita.*
3. *Merita noſtra eſſentialiter dependent à meritis Chriſti, quibus Chriſtus ſibi & Angelis quædam: nobis omnia meruit. Legem tamen illam de dandis auxiliis, neq; meruit, neq; illam eſſe voluit.*
4. *Opera Iuſtorum quæ procedunt ex gratia per*

Christum data, habent sufficientem Dignitatem ac valorem respectu augmenti gratiæ & gloriæ.

5. *Nostra merita non possunt obligare Deum vt retributorem, nisi intercedente promissione Dei, de facienda retributione, quàm promissionem meruit nobis Christus Dominus salutis nostræ Restaurator Optimus Maximus cui cum Patre & Spiritu sancto, Honor, Imperium, & Gratiarum actio in omnem æternitatem.*

Hæc Quæstio cum suis Conclusionibus & Corollariis disputabitur in Lectorio DD. Theologorum, Hora 10.

Ad Maiorem D. O. M. Gloriam.

D. Bernardus Serm. XX. in Cantica.

SPiritus quippè ante faciem noſtram Chriſtus Dominus æmulans nos Dei æmulatione non hominis, & certè ſaniori quàm primus Adam Euam ſuam. Itaq; quos in carne quæſiuit dilexit in ſpiritu, redemit in virtute, Plenum prorſus omni ſuauitatis dulcedine, Videte Hominem Hominis CONDITOREM. At dum Naturam prudenter ſelegit à Culpa, etiam potenter Mortem propulit à Natura. In Carnis aſſumptione condeſcendit mihi, in Culpæ vitatione conſuluit ſibi, in mortis ſuſceptione ſatiſfecit Patri, amicus dulcis, conſiliarius prudens, adiutor fortis. Huic ſecurus me credo qui ſaluare me velit, nouerit, poſsit.

Hæc & plura ibi; Doctor ille Melliſluus; De admiranda Humanæ Redemptionis Oeconomia.

CONTVBERNIVM IAGELONIANVM.

Admodum Reuerendo Domino MARTINO GILEWSKI *S. Theol. Doctori Prouisori suo, Fœlicem inter S. Theol. Doctores locum Vouet.*

DIuorum Regum Regis Iagelonis Alumna
Quæ tantis titulis nominibusq; viget;
Illa per ætates tot, longaq; sæcla perennans,
Ingenuæ pubi, semper vt æqua parens.
Illa tuo auspicio tàm fortunata GILEVI
Quam iuuenum densat, magna frequensq; cohors;
Ista tibi faustos aditus, meritumq; trophæum
Applausu læto, mente bonâq; vouet.
Namq; instaurati mundi turpisq; reatus,
Atq; hominum noxæ, queîs abolita modis;
Hæc (inquam) doctè cælestia dona retexens
Non sinis immemori, talia corde tegi,
Mentibus atq; hominum precioso ex ære redemptis
Mnemosynen scripto sufficis æthereum.
Iudicioq; graui Doctorum, almæq; Palæstræ
Subdis, & vsq; cupis, conserere ingenio.
Fortunatus agis qui talibus æra mereris
In castris, acies quas Stygis atra pauet.
Hæc tibi fausta vouet, Magni Iagelonis alumna
Quæ est experta fidem præsidiumq; tuum,
Vt quæ te virtus tanto subuexit Honori,
Hæc eadem, omnigenis augeat vsq; bonis.